

dictæ diœcesis nomine Aquensis Ecclesiæ pro nobili, & gentili feudo, prout consueverunt tenere antecessores sui in feudum ab Aquensi Ecclesia. Qui Dominus Episcopus dictum D. Manuellum recipientem suo nomine, & quo supra de dicto feudo legitime investivit, & ipsa investitura facta dictus D. Manuel juravit, & fecit eidem Domino Episcopo pro se, & suis successoribus debitam fidelitatem. Et super his omnibus habita deliberatione matura, Christi nomine invocato, & B. Mariæ Virginis ejus Matris in cujus vocabulo, & nomine Aquensis Ecclesia est fundata, investivit cum uno annulo aureo per se, & suos successores vice, & nomine Aquensis Ecclesiæ de gratia speciali prædictum D. Bonifacium, & pro se, & fratribus suis, & eorum heredibus recipientem de tribus partibus decimarum, & jurium decimationis locorum S. Juliæ, & Niosæ, & bonorum, atque hominum dictorum locorum. Quæ tres partes propter negligentiam prædecessorum Dominorum dictorum locorum S. Juliæ, & Niosæ, qui infra terminum debitum non recognoverunt dictum Dominum Episcopum de decimis supradictis . . . salvo semper, & reservato, & excepta de dictis tribus partibus quadam investitura per ipsum Dominum Episcopum diu facta Francisco de Aretis de Niosa, & decima bonorum ipsius, de qua investitura constat per publicum instrumentum factum manu mei Notarii infrascripti anno Domini MCCCLV., indictione VIII. die XXV. augusti, & salva etiam quarta parte decimationis prædictæ, quæ debet esse, & pervenire Ecclesiis parochialibus locorum ipsorum. Tali modo, & forma, quod prædicti DD. Bonifacius, & fratres, & eorum heredes, & nuntii de cetero nomine dicti feudi dictas tres partes decimarum possint petere, & requirere, exigere, & habere habendo secum Presbiteros dictarum Ecclesiarum, vel eorum nuntios, qui juste, & fideliter colligant, & exigant suam quartam partem prædictam, & de ipsa decima faciant ad suam omnimodam voluntatem, salvo semper jure, & honore Aquensis Ecclesiæ, & omnium personarum. Qua quidem investitura facta idem D. Bonifacius suo nomine, & tamquam procurator, & conjuncta persona dictorum fratrum suorum, pro quibus promisit de rato, ut supra juravit, & fecit per se, & eorum heredes eidem Domino Episcopo, & in manibus suis tactis sanctis scripturis puram, & meram fidelitatem, sicut consueti sunt vassalli facere Dominis suis, & sicut continetur in capitulis novæ, & veteris fidelitatis. Et promisit per dictum Sacramentum omnia, & singula attendere, & observare, quæ superius continentur de quibus omnibus omnibus, & singulis dictus Episcopus, & prædictus D. Bonifacius præceperunt fieri publica instrumenta facienda, & reficienda toties, quoties fuerit opportunum.

*Concessio possessionum cujusdam de Bistagno defuncti sine heredibus ex se natis facta ejus fratri ab Episcopo.*

309

M C C C L X.

Anno Domini MCCCLX., indictione XIII., die X. mensis augusti in castro Bestagni, præsen-

tibus Ven. viro D. Francisco Archipresbitero plebis de Conchis, Guillelmo de Oddono, Antonio Botini de Incisa, & Polello Gallo de Tertio testibus vocatis, & rogatis. In quorum præsentia Rev. in Christo Pater D. Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes Dominus generalis loci, tum in spiritualibus, & temporalibus, consuetus succedere in dicto loco his, qui sine heredibus legitimis ex se natis decedunt, volens de bonis, & rebus, quæ erant Joannis filii quondam Manfredi Garelli de dicto loco Antonio Garelli fratri dicti quondam Joannis, qui Joannes decessit divisus a matre, & aliis fratribus suis sine heredibus ex se natis, facere gratiam specialem, investivit in suo annulo aureo, quem in manu tenebat, prædictum Antonium per se, & suos heredes recipientem de omnibus, & singulis bonis, & rebus, vasis, utensilibus, juribus, & actionibus, quæ erant Joannis prædicti ab eo, ut præmittitur, divisi tali modo, & forma, quod dictus Antonius per se, & suos heredes dicta bona omnia, & jura de cetero habeat, teneat, & quiete possideat cum omnibus ingressibus, & regressibus suis usque in vias publicas, salvo semper jure Domini Episcopi, & omnium personarum, pro qua quidem investitura dictus Antonius dedit, & solvit dicto Domino Episcopo florenos duodecim auri, hoc tamen acto in præsentem contractum in principio, medio, & fine ipsius, quod fr. Margarina mater dicti Antonii, & Bartholomeus frater dicti Antonii dederint, & solverint, ac restituerint dicto Antonio aliquam partem dictarum investiturarum per totum præsentem mensem augusti, quod pro tanta parte, quanta satisfaciant ei, debeant habere de dictis bonis dicti quondam Joannis, aliter vero non. Et inde hanc cartam fieri præceperunt.

Ego Joannes de Quiregio Novariensis diœcesis Imperiali auctoritate Notarius, præfatique Domini scriba his præsens fui, & hanc cartam recepi, & scripsi.

*Sententia Guillelmi de Oddono Castell. Bestagni.*

M C C C L X I.

310

Anno Domini MCCCLXI., indictione XIV., die XVIII. mensis martii. In Bestagno, ubi jus reddit &c. præsentibus Francisco Rabini, Pagano Culardo, & Francisco filio Nicolini Culardi omnibus de Bestagno testibus ad infrascripta rogatis, & vocatis. D. Guillelmus de Oddono de Ancisa Castellanus Bestagni pro Rev. Patre, & D. D. Guidone Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensi Episcopo, & comite, sedens pro jure reddendo condemnavit Gyraldum Copellum nuncium communis Bestagni constitutum curatorem generalem, & specialem in bonis, & juribus, quæ quondam fuerunt D. Pagani de Meladio, & Bastardi ejus filii tamquam bonis vacantibus, & defensis, ibi præsentem, & confitentem, quatenus det, & solvat Dominico Culardo de Bestagno procuratori D. Arminiae, & D. Antonii filii dictæ D. Arminiae, & matris Genevræ quondam uxoris quondam dicti Bastardi dicti quondam D. Pagani de Melacio, libras CCXL. denariorum bonorum Astensium cum melioramento